

soluere fo. restringitur à Collectore Compendij Societatis, respectu excommunicatorum generaliter ab homine, à quibus Superiores tantum, & hi, qui ab eis specialem licentiam obtinuerint, poterunt absoluerè. Quæ Collectoris declaratio, est iuxta constitutiones Societatis Iesu, secundum quas, auctoritate Apostolica Præpositus Generalis potest restringere usum priuilegiorum ipsi Societati concessorum: minime vero nocet alijs Regularibus, quominus uti possint tali priuilegio, pro ut in eo continetur, ob rationem proximè adductam. Atq; ita Confessores Ordinum Mendicantium poterunt absoluerè excommunicatos generaliter ab homine, cum verba Pauli. 3. sint generalia, & generaliter concedant absolutionem quarumcunq; censurarum resultantium ex criminibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, præterquam in Bulla Cene Domini, ut docet Pater Emmanuel. i. Tom qq. Regul. q. 61. art. 5.

¶ Ex Compendio Indico Societatis. Possunt ij. qui mittuntur a Præposito Generali in partes, ac loca remotissima, Pallas, Corporalia, Calices, Altaria, Cæmeteria, [si Episcopus Catholicus, qui id faciat, ibi non

H h ; ad sit]